





DE CARTHAGENA

HOMILIAE

CATHOLICAE



1

BV4254

.L3

C3

v.1

008487



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ  
Episcopi Leonensis



1080015299

P. F. IO. DE CARTHAGENA

**HOMILIAE CATHOLICAE**

# HOMILIAE CATHOLICAE

DE SACRIS ARCANIS

## DEIPARAE MARIAE ET D. JOSEPHI EIUSDEM SPONSI

AUCTORE

**P. F. IOANNE DE CARTHAGENA**

ORD. MIN. OBS. S. THEOL. LECTORE GEN. ROMAE ETC.

EDITIO PRIMA NEAPOLITANA

ADDITO PROMPTUARIO DE DIVERSIS TITULIS MARIANIS

A CARTHAGENA PRAETERMISSIS

AUCTORE

**RAPHAELE M. COPPOLA PRESB. NEAP.**

PRAELATO PROMPTUARIO APOST. AD INSTAR PARTICIPANTUM  
ET IN ALMO OBLE. NEAP. UNIVERSITATIS S. TH. MAGISTRO

VOL. I.



Capilla Alfonsina  
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN  
Biblioteca Valverde y Tellez

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA IOSUE VERNIERI

MDCCLXIX

45129

BV4254

L3

C3

V.L

Literaria proprietas ad normam legum.

Exemplaria, quae non erunt hoc signo notata adulterina reputabuntur.



1813

## LECTORI BENIGNO

RAPHAEL M. COPPOLA

Tanta est librorum inundantia, quae nostris hisce temporibus rem litterarum publicam pervadit, ut omnia poene ab illa obrui putes. Quis enim tot libros perlegat, quot in dies procedunt in lucem? At vero si paucos excipias, qui doctis et eruditis viris apprime probantur, ceteri tanta vel levitate laborant, vel fortuita partium connexione, vel etiam ineptiis, ut tibi stomachum faciant. Nihil vero de quorundam audacia dicam, qui praeclearo auctorum nomine ducti, crambem requoquunt, et veterum (obscuriorum praesertim) sibi personam imponentes, vulgares laudes captant. Hinc non raro evenit, ut juvenes quique prompto ingenio et discendi ardore nobilissimi, quin animi cupiditatem ineptissimorum voluminum lectione expleant, libros omnino fastidiant; ita quidem ut quos hominum expectatione omnigena ornatos doctrina esse oportebat, nec sibi, nec aliis prosint, et quam vilissimo otio marcescant. Nusquam tamen miserus, aut luctuosus huiusmodi se malum prodit, quam cum de iis agitur, qui in sortem Domini vocati, non sibi modo ipsi, sed Christiano populo rerum divinarum scientiam callere debent. Et sane sacrae Literae monent: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent (populi) de ore eius (Malach. c. 2. v. 7)*: quod quidem tum omnes Ecclesiae Dei ministros respicit, tum eos quam maxime, quibus aut munus demandatum est conciones habendi ad populum, aut ipsi hoc sibi officium ex animi sententia, seu potius Deo affante praecipaverunt. Apostolus enim docet: *Ipsae (Iesus Christus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores (Ephes. IV. v. 11)*. Quo quidem munere nihil in Ecclesia Dei esse praestantius, nemo sanae mentis inficias ibit. Eodem enim Apostolo testante: *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes (1. ad Cor. v. 21)*. Cum vero stultitiam appellat praedicationem, non ita accipias, cui si ad populum concionatur stultum atque verbis et sententiis imparatum esse liceat. Hoc prophetarum est magis, quam oratorum; sed ea utique significatione, qua alio loco asseruit: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam (1. Cor. c. 1. v. 23)*.

Porro primam hanc neapolitanam Carthagenae editionem adornandam duximus, ea scilicet mente, ut praeclearissimum opus numeris omnibus eximium ecclesiasticae inventuti exhiberemus, et iis praecipue, qui oratoriae artis studio operam navant. Quem enim fugit quam late sacris oratoribus dicendi facultas pateat? ut si quis ea omnia sciret, quae a sacro oratore dici possunt, iam doctissimus hominum esset indicandus. Quidquid enim sive in veteri, sive in novo Testamento, sive per sanctissimos Patres atque Doctores, sive per Conciliorum oracula, sive per ecclesiasticos Canones Deus unquam nobis tradidit, sacro oratori optimo iure cedit; ut apposite Christianam Plebem de suis officiis doceat. Ubi tamen invenies, qui sibi tam vastam et incredibilem tot tantarumque rerum scientiam comparaverit, aut tam praesto habeat, ut cum occasio poscit, non indigeat aliquo tempore, quo plures memoriae reficienda causa, iam lectos libros evolvat? Hoc nempe nomine P. Carthagenae doctorum quorumque laudibus se se commendavit. Universam enim Catholicae Religionis rem tanta diligentia unde unde collegit, ut mirum prope fuerit, quomodo vires homini non deficerent; collectam in capita disposuit; capitum vero materiam lucido illo ordine, quem Venusius poeta in *Arte* tanti faciebat, explicuit. Quare hoc unum opus satis est tractandis omnibus mysteriis tum Sanctissimae et individuae Trinitatis, tum D. N. Iesu Christi, tum B. Virginis Mariae, eiusque Sponsi divi Iosephi, tanta copia, ut lateri debeas homini vel perfiditici nihil ultra expetendum, aut exquirendum auctorem reliquisse.

At Catholicorum pietas ab obitu auctoris plura deinceps nomina invenit, quibus et Salvatore Iesum, et Desiparam coleret, quorum praetermissio, etsi Carthagenae culpa verti non posset, *Homeliarum* tamen seriem variis intervallis interrumpere videbatur. Nos hanc lacunam explere contendimus, nec quidquam nobis antiquius fuit, quam ut auctori, maiori qua fieri potuit cura et labore, accederemus. Quod quidem eveniret nec ne ex nostri animi sententia, aliorum iudicium esto. Habes igitur, benigne lector, praestantissimum opus, omnium quidem laudibus celebratum, cuius tamen exemplaria tam rara evaserant, ut vix, aut ne vix quidem in publicis bibliothecis carptim et certo temporis spatio evolvenda prostant; tot vero novis auctum *Homeliis*, ut nostris temporibus absolutum profecto iudices. Utere igitur paratis divitiis, et Vale.

000487

Faint, mostly illegible text at the top of the left page, possibly bleed-through or a separate section.

More faint, illegible text in the middle section of the left page.

More faint, illegible text at the bottom of the left page.



FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

PROEMIUM AUCTORIS

Quod quisque pollicitus est, candidi lectores, id non praestare, nec pudens hominis esse, cum mutua officiorum vicissitudo, tum sanctissimae leges testantur; quae res me praecipue impulit, addo etiam, calcaria quasi subdidit, ut extremam manum his homeliis admoverem. Cum enim superioribus mensibus typis commissem, quas in enodandis arcanis ad Christum Dominum spectantibus elaboraveram, Conciones (opus divini Verbi praecoribus, ut mihi ipsi persuaseram, accommodatum), ac sponsonem quasi dedissem coepta prosequendi, praesertim de h. Virginis Mariae laudibus, Marianum, ut ita loquar, opus me omissurum promissem, hac conditione, si meis laboribus vestrae benevolentiae, et gratiae auram arridere animadvertissem. Video pollicitationis meae convictum, ac voti complotem me esse factum; quod benignissime meis elucubrationibus vestri favoris prerogativa singularis blandita est, et iam quod mihi proposueram, aliqua ex parte peregissem cognosco. Noli igitur desiderium vestrum intercepta mora frustrari, sed Mariani huius operis primum volumen quamprimum praelo committere non dubitavi. Utinam vero vestrae expectationi respondeant elucubrationes istae! certe ut responderent, summpere contendi: sed non humanitati vestrae mihi diffidendum esse existimo, quin serena fronte excipiatis eorum labores, qui vobis operam aliquam pro ingenii sui modulo navare conantur, nec est cur aristarchi, et criticorum valde obductas frontes et censuras perfliescam: ut enim mihi ipsi non blandior, et meis scriptis non ita delector, quin cognoscam me aliquem in lapidem offendisse, eorum tamen me recreat comitas, qui cum in aliena incurruunt scripta, quae commendanda deprehendunt, debita laudatione non defraudant; quae vero improbanda videntur, vel prudenter dissimulant, vel tacita lectione percurrunt, vel etiam benigna emendatione, ut nos in aliorum scriptis facitamus, sine morsa dignantur. Accipite igitur, quod vobis offertur munus: si utile, frumini vestro commodo, et utilitati elaborato opere; sin minus, voluntatem meam de vobis bene merendi aequi bonique consulite.